


Schediasma Historico Philosophicum De Apollonio Tyanensi Philosopho Pythagorico Thavmatvrgo ...

Sectio Secvnda

Vitembergae: Litteris Ioannis Andreae Röberi, [1723]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1769573836>

Band (Druck) Freier  Zugang



Klose,
Schediasma - de Apol-
lonio Tyanensi.
1723.

b

308.



Eb
308



Q. D. B. V.

SCHEDIASMATIS
HISTORICO PHILOSOPHICI
DE
APOLLONIO TYANENSI
PHILOSOPHO PYTHAGORICO
THAVMATVRGO
SECTIO SECVNDA

QVAM

DIE XX. NOVEMB. HORIS POMERIDIANIS
PLACIDAE ERVDITORVM CENSURAE SVBMITTIT

PRAESES

M. SIGISM. CHRISTIANVS KLOSE
DVRLACENSIS

RESPONDENTE

JOH. HENRICO BAVMANN ENSLINGA - SVEVO
SS. THEOL. CVLT.

VITEMBERGAE

LITTERIS IOANNIS ANDREAE RÖBERI

8234



SCHEIDMANN
HISTORIO-PHYSIOLOGI
DEI

ABOLITIONIS
PHILOSOPHO PYTHAGORAE
J. H. V. M. A. V. R. G.

M. SIGISM. CHELIMSKY KOSZ.

JOH. BENKIO

I. N. I.

SCHEDIASMATIS
HISTORICO PHILOSOPHICI
DE
APOLLONIO TYANENSI
SECTIO SECVNDA.

§. I.

DE Apollonio Tyanensi dum hic agimus, ante omnia sedulo caveamus, ne homonymia, quæ errorum genitrix semper est, decepri, nostrum cum alio confundamus. Varium namque, mul-

A 2

tis-

Varium namque. Vartorum Apolloniorum catalogum vid. apud Iontum de Script. Hist. Phil. L. III. c. IX. et Fabr. Bibl. Gr. L. III. c. XXI. Agit quoque de variis Apolloniis Meursius in Syntagmate peculiari, hac de re conscripto, quod Apollonii Dyscoli Hist. Mirab., a se editae, adiecit. Dantur autem Apollonii Medici, Rhetores, Grammatici, Geometrae, Philosophi, Stoici, Platonici, Peripatetici, et alii, de quorum vitis scriptisque, quantum constat, vid. ap. AA. citatos. Nos h. l. paucis tantum de iis dicturi sumus Apolloniis, quos vel ob nominis celebritatem, vel ob aliam notabilem quandam conuenientiam, facile cum nostro confundere quis posset. Huc ergo pertinent Apollonius Naucratis, siue, uti alii uolunt, Alexandrinus Aegyptius, a loco, ubi Rhetoricam professus est, Rhodius uocatus, et Apollonius Alexandrinus, cui a moribus, quos habebat, difficilibus Dyscoli nomen datum. Vterque horum tantam nominis celebritatem eruditionisque laudem consecutus est, ut saepissime illos, sine illa cognominis additione, sub solius Apollonii nomine a uiris eruditis allegatos inuenias. Floruit autem

isque commune, cum sit Apolloniorum nomen, facilis erit lapsus, nisi debitam adhibeas circumspeditionem, id quod doctis-

autem Apollonius Rhodius tempore Ptolomei Euergetae, Regis Aegypti, et Bibliothecae Alexandrinae praefectus factus est. Varia eius scripta, quae reliquit, omnia periere, praeter Argonautica, de quibus conf. Morhof. Polyh. Liter. L. VII. c. II. §. 18. Apollonium Dyscolum quod concernit, vixit ille Adriani et Antonini Pii, Caesarum, temporibus, et Grammaticam professus est: tantam autem eius fuisse ferunt egestatem, ut chartas emere non potuerit, sed in testas scribere coactus fuerit; haec tamen egestas nil impediuit, quo minus uaria composuerit scripta, Grammatica imprimis, per quae magnum inter Grammaticos sibi comparauit nomen. Recenset illa Suidas in Lex. uoc. ἀπολλ. integrum quoque catalogum scriptorum Apollonii Dyscoli, tam perditorum, quam eorum, quae hodiernum supersunt, exhibet Fabr. B. Gr. L. V. c. VII. Inter ea, quae adhuc habemus, nota imprimis est Apollonii Dyscoli Historia Mirabilium, graece scripta, quam cum uersione Xylandri et notis edidit Ioh. Meursius Lugd. Batav. 1620. 4t.

Inter celebres Apollonios hic quoque notandus est Apollonius, a patria Perga, Pamphiliae ciuitate, Pergaeus; ab insigni uero, quam possidebat, Geometriae scientia, Geometra, et quidem cum addito, Magnus, dictus. Variis scriptis Mathematicis olim claruit, quae uero iniuria temporum omnia periere, praeter Libri VIII. Conicorum, inter quos tamen solos IV. priores graece hodie adhuc extare scribunt uiri docti, reliquos uero ex uersione tantum Arabica ad nos peruenisse. Confuderunt hunc Apollonium Pergeum, Geometram Magnum, cum Apollonio Tyanensi, Vollaterranus, Cassiodorus, Boissardus, et de Lancre, ambiguitate nominis decepti, memoratos Libros Conicorum huic adscribentes. conf. Gabr. Naudeus Apolog. p. 204. sqq.

Fuit quoque Apollonius quidam Platonicus, gente Syrus, quem de oraculis librum composuisse, ex Spartiano annotat Ionius l. c., additque, cauendum esse, ne hunc confundat quis cum Apollonio Tyanensi, de quo hic agimus, quem itidem de Oraculis peculiari scripto egisse, constat. Vixit autem Tyanensis circa Vespasianorum

tem-

doctissimorum uirorum exempla nos docere, cautosque reddere possunt. Hinc ante omnia de Patria, Aetate, ac Philosophia Apollonii Tyanensis, quibus ab aliis optime distinguitur, dispiciamus.

§. II.

Ortus autem est Apollonius Tyanis, Cappadociae metropoli secunda, ad radices Tauri sita, hinc Tyanensis dictus, uixitque ab ultimis Augusti Caesaris annis, usque ad mortem Domitiani, seculo nempe primo post Christum natum fere integro. Philosophiam autem professus est Pythagoricam, huius enim, inde a primis iuuentutis suae annis, tanto

A 3

amore

tempora; Syrus autem post Adrianum floruit. Eandem ob causam forte hic quoque nominandus erit Apollonius Laodicensis, ob insignem astrorum peritiam Astrologus dictus, quippe qui, pariter ac noster, de Astrologia quosdam conscripsit libros. uid. Fabr. B. G. L. II. c. XXI. Eodem, quo Apollonius Tyanensis uixit, tempore Romae sub Claudio et Caligula Imperatt. claruere quidam Apollonii Grammatici, quorum mentionem faciunt Ionsius et Fabr. II. cc., de quibus tamen pauca habemus, quae dicamus. Magis autem attendi meretur Apollonius Tyanensis alter, uti uocatur, siue iunior; eiusdem hic, cum nostro, erat ciuitatis, Tyanis ortus, hinc idem utrique non solum nomen, sed et cognomen commune est. Philosophum quoque Iuniorem fuisse, ex Suidae uerbis, quae allegat Ionsius L. IV. de Script. Hist. Phil., constat, quamuis de coetero non liqueat, cuius additus fuerit sectae. Differt autem ab Apollonio nostro ratione aetatis, uixit enim sub Adriano Imperatore, hinc etiam Iunioris nomen ipsi datum est, noster uero Senior, maioris distinctionis gratia, appellatur.

doctissimorum uirorum exempla. Lapsus uirorum eruditorum, ex homonymiae neglectu commissos, uarios annotat Ioh. Mollerus in Homonymoscopia, idem subinde facit Ionsius in suo tr., saepius iam citato, imprimis uero Iohannis Meursii, aliorumque, circa Apollonios halucinationes L. III. c. IX. et alibi, data occasione reteggit.

amore correptus fuit, ut hanc solam addiscendam et sequendam sibi proponeret, et tam diligens quoque huius sectae factus est obseruator, ut multis propterea simia Pythagorae audiret, nil enim in Pythagora erat, quod ipse non, quanta fieri potuit cura, sedulus imitaretur; nec ullum Pythagoras suis discipulis praeceptum dedit, quod non ab Apollonio seuerissime obseruatum legimus. hinc longinquas illas ad uarios Orientis Philosophos et Aegyptios suscepit peregrinationes; idem enim Pythagoram fecisse constat. Victus quoque ipsius, et amictus, ceteraque omnia, legibus, a Pythagora discipulis suis praescriptis, exactissime erant conformia, neque ullis uel minis, uel pollicitationibus, a proposito suo, Pythagoram eiusque instituta in omnibus assequendi, dimoueri poterat, id quod Vita Apollonii, a Philostrato scripta, factis superque testatur.

§. III.

Viuebat ceteroquin Apollonius uitam, omnibus id contentibus, innocentissimam uereque philosophicam, ex cuius dictis et factis summa elucebat grauitas studiumque uirtutis, sapientiae quoque ac eruditionis laus ipsi omnino tribuenda est, imprimis autem singularem sibi et diuinam fere rerum naturalium, earumque effectuum, comparauit notitiam, cuius ope abstrusissimos naturae recessus scrutari ipsi datum erat, et stupendos edere effectus, quo factum est, ut omnium animi in hunc uirum intenderentur, tanquam eiusmodi hominem, cuius patrata facta omnem naturae uim uideantur transcendere. Magnam inde nominis celebritatem nactus est Apollonius, sed uaria et diuersa, uti fieri solet, hominum de persona sua et factis, experiebatur iudicia. Alii summis eum propterea mactabant laudibus,
uirum-

uirumque plane diuinum iudicabant, cui plus, quam humana, tribuenda sit sapientia, aras quoque ipsi post obitum extruebant et templa, in quibus Apollonio, tanquam Deo, sacra fiebant, et imaginem eius diuinis proferebantur honoribus: notum namque est, Alexandrum Imperatorem ipsum in larario suo pro Deo coluisse, et de Aureliano refert Vopiscus, quod Apollonii imaginem in multis uiderit templis: imo eo audaciae progressi sunt nimii eius admiratores, ut ipsum, ob sapientiam et patrata miracula, cum Christo seruatore nostro comparare, imo etiam longe anteferre non

uirumque plane diuinum. Ita Philostratus expresse ipsum uocat Θεῖον ἄνθρωπον, uirum diuinum, et Eunapius de uitis Philos. Apollonium non Philosophum amplius, sed medium quid inter Deum et homines habendum censet, et Philostrati libros non Apollonii Vitam sed accessum Dei ad homines appellat. Flavius uero Vopiscus in Aurel. §. 6. uocat ipsum celeberrimae famae autoritatisque sapientem, ueterem Philosophum, amicum uerum Deorum, ipsum etiam pro numine frequentandum. et paucis interiectis ita pergit: quid enim illo uiro sanctius, uenerabilius, antiquius, diuiniusque inter homines fuit? ille mortuis reddidit uitam; ille multa ultra homines et fecit, et dixit: quod elogium Morhofius Polyh. Philos. L. I. c. II. §. 5. incomparabile atque inuidendum nominat. Nec ex ipsis etiam Christianis defuere, qui uirum ob praeclaras uirtutes laudibus mactarent, exemplo potest esse epistola illa Sidonii Apollinaris, ad Leonem, Euarigis et Alarici, Gothorum Regum, Consiliarium scripta, quae extat apud Ionsium L. III. c. XIX. §. 3. Quamuis propterea Sidonio Apollinari succenseat Huetius Dem. Euang. Prop. IX. Cap. CXLVII. quod eas in Apollonium contulerit laudes, quae Christianum hominem parum deceant.

cum Christo seruatore nostro comparare. Extat hac de re hodiernum adhuc fragmentum Hieroclis, iuratissimi nominis Christiani hostis, ex libro suo, quem inscripsit Philalethe, desumptum, quod nos edocet finem et intentionem auctoris, hunc librum consarcinandi, scilicet, probare in eo uoluit, quanto melius et prudentius gentiles talia miracula

non erubuerint. Alii e contrario magicis artibus stupendos illos, quos Apollonius patrasse dicitur, effectus, adscribendos esse, et, infernalis spiritus subsidio et opera hac in re ipsum usum, afferunt. Sunt uero etiam nonnulli, qui magiae infamis notam Apollonio inurere dubitant, ipsum tamen pro impostore faserrimo, et praestigiatore malitioso habent, qui, fucum faciendo hominibus, maiora de se iactauerit, quam unquam praesitit, aut etiam praestare potuit; adeoque magnum illud nomen fraudibus et mendaciis sibi comparauerit. uid. B. Ioh. Conr. Danhaueri Christeis pag. 158. sqq.

§. IV.

Mitiora alii de Apollonio iudicant, dicentes: ipsum fuisse uirum probum ac honestum, integrum uitae, scelerisque purum, qui uero, cum profundam sibi arcanioris rerum naturalium scientiae notitiam comparauerit, longeque ultra uulgus Philosophorum sui temporis sapuerit; ope huius cognitionis stupendos multos et singulares ediderit effectus, quos, imperita plebs, in causas illorum curiose non inquirens, tanquam insolitos admiratus sit, et pro supernaturalibus habuerit. Cum autem uiderent pagani, res suas, propter incrementum religionis Christianae, indies magis magisque in ruinam uer-

gere,

racula admittant in suo Apollonio, quam Christiani in suo Christo. Seruauit nobis hoc fragmentum Eusebius Pamphili in libro, quem ex instituto ad refellenda Hieroclis commenta conscripsit; idem testantur crebriores Patrum primitiuae Ecclesiae, ob hanc temeritatem maliciosam gentilium, quaerimoniae. Augustinus Epist. V. ita scribit, quis autem uel risu dignum non putet, quod Apollonium et Apuleium, ceterosque magicarum artium peritissimos, conferre Christo, uel etiam praeferre conentur; et Marcellus ad August. Epist. III. qui suum Apollonium et Apuleium, aliosque magicae artis homines, in medium proferunt, quorum maiora contendunt extitisse miracula. conf. Iouius L. III. c. 18. p. 99.

gere, et apud multos haud exiguum conuersionis suae momentum addidisse miracula, de Christo praedicata, hinc iurati nominis Christiani hostes, ut rei suae labenti consulere, occasionem arripuisse, sapientiam et stupenda facta Apollonii, cuius iam magna apud omnes erat existimatio, de praedicandi, celebrandi, et, quo maius suis persuasionibus pondus addant, multa etiam miracula Apollonio affinxisse, ne scilicet Christianis, ob miracula Christi, cedere cogantur. Et hinc factum esse aiunt, quod Philostratus, Hierocles, aliique, suas de Apollonio narrationes, ad analogiam historiae Christi, ab Euangelistis conscriptae, fabricauerint, et Apollonium Saluatori conferre, imo et praeferre annisi sint. Hoc uero dum non ex Apollonii culpa sit factum, quippe quem se ipsum Christo opponere uoluisse, nunquam legimus, sed summam potius in omnibus eius actionibus deprehendimus modestiam, non ipsi, sed malitiae aliorum tribuendum ipsis uidetur damnum, quod per hunc uirum Ecclesiae Christi est illatum.

§. V.

Longe autem facilius forte et tutius, hac in re quid sentiendum, cuique parti ad stipulandum sit, patesceret, si omnes, qui olim de Apollonii gestis consignati fuere libri, nobis hodie adhuc euoluere liceret. Magnus enim historicorum numerus prodigia, ab Apollonio edita, in literas olim retulit, teste Ioh. Tzeza Chiliad. 2. Hist. 60. Verum enim uero plerosque horum, imo, praeter Philostratum, omnes, temporum iniuria nobis sustulit,

B

lit,

non ex Apollonii culpa. uid. Olearius in praefatione ad Philostrati Vitam Apollonii, add. Morhof. Polyh. Philos. L. I. c. II. §. 5. et Gabr. Naudai Apologie pour les grands hommes l. c. qui totus in eo est, ut demonstret, Apollonium neque fuisse magum, neque suae, sed intempeltiuorum suorum laudatorum, Philostrati imprimis, culpae esse adscribendum, quod apud multos male audiat.

lit, adeo ut de nonnullis, praeter solum nomen, ab aliis seruatum, nec uola, nec uestigium, amplius hodie superfit. Pertinent huc tabulae Testamentariae, ab ipso Apollonio, cum in carcerem, iussu Domitiani, coniceretur, scriptae, ex quibus, teste Philostrato Vit. Apoll. L. I. c. III., conspici potuit, uti diuino actus impetu philosophatus fuerit hic uir. Hisce iungendus est Damis Assyrius Ninius, intimus Apollonii amicus
ac

Damis. Varios in Historia Philosophica occurrere Damides, obseruat B. Olearius in not. ad Philostr. Vit. Apoll. L. I. c. III. Ninium, quod attinet, de quo hic agimus, praeter ea, quae Philostratus de ipso habet, nil nouimus. Philosophum ipsum fuisse, Philostratus et Hierocles testantur, ex eo uero, quod Apollonii familiaris fuerit et discipulus, colligere licet, sectae Pythagoreae ipsum fuisse addictum, cuius tamen leges saepius migravit. Commentarios eius de Philostrato quod concernit, ita illos inscripsisse uidetur: *δέλτος ἢ τῶν ἐκφαντισμάτων τῆς ἀπολλωνίᾳ*. Conf. Philostr. Vit. Apoll. L. I. c. XIX. laudant illos Philostratus et Hierocles, tanquam satis plane, et iuxta ueritatem, scriptos. Damis enim, iuxta Philostr. l. c., commentariis de huiusmodi rebus componendis ualde aptus erat, idque mortalium omnium optime praestabat. Acceperat autem illos Philostratus, antea ignotos, a quodam cognato Damidis, et ex illis suum collegit opus. Iam si ad ea, quae de Damide in sua Historia refert Philostratus, attendamus, simplicioris ipse et creduli fuit ingenii, hinc etiam ab Apollonio aliisque saepe pro ludibrio habitus, uariisque exagitatus fuit quaestiuiculis, imo tanta fuit animi sui, quiduis credendi, pronitas, ut etiam catenas, quibus Prometheus alligatus fuit, in monte Caucaeso se uidisse crediderit, uid. Philostr. L. II. c. 3. Cum ergo maxime luculenta summae simplicitatis in ipso deprehendantur uestigia, tantum ipsi fidem Philostratus minime debuisset habere, ac fecit: non mirum enim, iudice Oleario in Praef. p. XXXII., hominem simplicem multa retulisse paradoxa, fando accepta, multa, a Philosophis audita, quae sensu *μισκωτέρῳ* interpretari debuissent, in *τεγατολογίας* conuertisse, multa, quae ab iis patrari uideret arte quadam, eo quod captum suum excederet, in mera miracula

ac discipulus, perpetuusque itineris comes. Conscripsit hic commentarios, in quibus placita dictaque Apollonii, et ea, quae diuinavit, omnia consignavit, quibus in compilanda sua Historia haud sine fructu se usum fuisse testatur Philostratus l. c. Denique huc referendi Maximus Aegiensis et Moeragenes, quorum ille Apollonii in Aegis gesta singulari libro comprehensus est; hic uero Apollonii uitam IV. Libris descripsit; de neutro uero horum nil amplius hodie nouimus, quam quod Philostratus eos ad suam historiam euoluerit.

B 2

§. VI.

cula conuertisse; neque diffido, pergit ille, id planissime iis persuasum iri, qui diligentius hanc uitam expenderit, passimque ad eandem nobis obseruata paulo curatius considerare dignati fuerint. Ceterum hosce Damidis libros cognatum suum, a quo illos acceperat Philostratus, Damidi affinxisse, et, quo uendibilior esset merx, Iuliaeque facilius obrudi posset, supposuisse, uti Huetius D. E. pag. 1060, suspicatur, dicere non ausim; praesertim cum Eusebius, cui tamen haec fraus facile potuisset nota esse, nullam de Damide, uero eius autore, dubium moueat, quamuis eruditionem potius, quam ueritatis studium, in illis ostendisse pronunciet, aduersus Hierocl. c. IV. De Damide conf. etiam Suidas in Lex. uoc. Δάμις, qui et eruditionem in ipso, et scientiam componendi commentarios, et fortitudinem laudat.

Maximus Aegiensis. Quinam hic fuerit, non liquet, de Libro suo Eusebius l. c. iudicat, quod plurimum quidem in eruditione profecerit, sed parum ueritatis fuerit studiosus.

Moeragenes. Obscurum hunc uocat autorem Olearius in not. ad L. I. c. III. Philostr., neque etiam de ipsius uita quicquam dicere possumus. Libros quod concernit, quos de Apollonio conscripsit, Philostratus eosdem in colligenda sua historia euoluisse quidem fatetur, sed exiguum illis statuit pretium, quod multa uiri gesta ignorauerit: neque etiam Hierocles apud Eusebium eius mentionem facit, qui tamen Damidem, Maximum, et Philostratum, Scriptores Vitae Apollonii, laudat ob eruditionem, ueritatisque studium. quod si coniecturis heic indulgere licet, Moeragenes fortasse ueritatem in scribenda Apollonii historia magis secutus,

§. VI.

Et haec de iis, qui Apollonii Tyanensis uitam ante Philostratum describere, sufficiant. Sequitur nunc ipse Philostratus, de cuius instituto et fide paucis adhuc differemus. Primarius autem ille, imo unicus totius antiquitatis autor est, cuius de Apollonio opus ad nos peruenit. Huius fide et autoritate omnia nituntur, quae de Apollonio egregia et miranda narrantur, ex illo namque, tanquam ex fonte, profluxit, quicquid reliqui de hoc uiro dixere, tanto ergo maiori cura et diligentia dispiciendum est, quodnam ipsius relationibus statuendum sit pretium, quo deinde reliquorum asserta eo facilius diiudicari possint.

§. VII.

Conscripsit autem Philostratus VIII. Libros de Vita Apollonii lingua Graeca, iussu Iuliae Augustae, Seueri coniugis, quae uiris

secutus, quam reliqui nimii eius laudatores, res ab ipso gestas sincere, prout reuera erant, sine additionibus et figmentis, proposuit, propterea uero ab illis negligentiae inculatur, quia talia apud ipsum non inuenerunt, quae cum desiderio et scopo illorum conueniebant. Sed cum ipsos Moeragenis libros nobis hodie euoluere non amplius sit datum, certum hac de re iudicium dare non possumus. Nisi enim Philostratus eius seruasset memoriam, fortasse nec Moeragenem, nec Maximum aliquem Aegiensem unquam extitisse, sciremus.

Philostratus. Varios Philostratos, in Hist. Phil. celebres, recenset Ionius de Scr. H. P. L. III. C. XIV. p. m. 88. sq. Tres autem praeter reliquis innotuere Philostrati, de quorum scriptis, cuinam sigillatim sint tribuendi, disputant eruditi, quorum uarias sententias et discrepantias adducit Olearius in Praefat. tandemque, quidnam quilibet scripserit, euidentissimis demonstrat rationibus. Vitam Apollonii quod concernit, medio inter tres illos Philostratos Lemnios, Flauio nempe Philostrato, Veri Philostrati Filio, adscribitur, qui, praeter hos libros, alios quoque consignauit multos, superstites adhuc et perditos, quorum catalogum exhibet Fabr. Bibl. Gr. L. IV. c. XXIV. illi, qui super-

sunt,

uiris eruditis impense delectabatur. Scopus eius est, uti ipse indicat sub initium statim operis sui, Apollonium a magiae crimine, cuius uulgo incusabatur, liberare, et simul accurate

B 3

de

persunt, libri eius extant in collectione operum Philostratorum, a B. Oleario edita. Prodit autem illa Lipsiae 1709. titulus libri hic est: *τὰ τῶν Φιλοσόφων λειπόμενα ἅπαντα. Philoſtratorum, quae ſuperſunt, omnia*, uita Apollonii Libris VIII., Vitae Sophistarum libr. II., Heroica, Imagines priores atque posteriores, accessere Apollonii Tyanensis Epistolae, Eusebii Liber aduersus Hieroclem, Callistrati Descriptiones statuarum; omnia ex MSS. Codd. recensuit, notis perpetuis illustrauit, uersionem totam uere nouam fecit Gottfridus Olearius, Lipsiae ap. Thom. Fritschium 1709. fol. Quidam in hac editione praestiterit B. Autor, ipse sigillatim recenset in praefatione praemissa; iudicium uero de hoc labore quodnam ferunt uiri eruditi, uerbis Ioh. Alb. Fabricii exprimere lubet: Ita autem ille Bibl. Gr. l. c. p. 53. scribit: Vere affirmari potest, uix ullum nostra aetate Graecum autorem tam diligenter et docte politum prodixisse, siue Graeca ad MSS. Codd. Vaticanos, Anglicanos, Vratislauenſes, et in uitis Sophistarum, ad Putschianum meum, castigata edita, siue uersionem perspicuam et accuratam, quae tota fere noua addita est, siue adiunctas notas praeclaras et prolegomena doctissima respicias. Tabulae quoque chronologicae, et indices adiecti, lectorum commodis bene consulunt, et charta typorumque nitore eximius oculos delectant. Lucem uidit opus, decori utique auctori suo semper futurum, Lips. 1709., de cuius apparatu et rationibus operae pretium est uidere Acta Erud. illius Anni p. 433. sqq. ubi obiter p. m. 439. sq. respondetur ad obseruatiunculas, e Bibliotheca Schurzfleischiana editas, sub tit. Specilegii aliquot in Philostratum Animaduersionum VVitteb. 1709. pagina unica. Reliquas operum Philostratorum editiones, cum coniunctas, tum separatas, recenset Fabr. l. c., cum quo conf. Olearius in Praef. ad opera Philostr. p. VII. sq. Quod imprimis Philostrati Libr. VIII. de Vita Apollonii attinet, saepius illi non modo separatim editi prostant, sed et in uarias linguas exoticas translati sunt, Gallicam nempe, Italianam, et Anglicanam, qua de re uid. Fabr. l. c.

de tanto uiro, quae quouis tempore dixerit, aut fecerit, quae itidem philosophandi methodo, ut diuinus uideretur, atque éaemonius, affecutus fuerit, dispicere. Variis autem subsidiis instructus opus aggressus est, non solum enim testamento Apollonii et Damidis, Maximi Aegienfis ac Moeragenis operibus usus est, sed multa etiam collegit ex ciuitatibus, quae Apollonium adamarunt, templisque ab eo restauratis, partim etiam ex iis, quae multorum sermonibus de eo celebrata sunt, nonnulla quoque ex epistolis ipsius desumpsit, uid. Philostr. L. I. c. II. §. VIII.

Iam quod ipsam Philostrati historiam Apollonii concernit, fidemque, quam autor adhibuit, diuersa plane, imo contraria eruditorum sunt iudicia. Equidem ingenium et eruditionem uiri omnes laudant: haud uulgarem namque ostendit autor in Philosophia cognitionem, et uel propterea magnam meretur laudem, quod multas Historiae Pythagoricae, Indicae quoque Philosophiae, et Aethiopicae, nobis seruarit reliquias, et maxima rerum iucundissimarum oblectet uarietate. Omnes etiam, qui linguae Graecae penitorem habent cognitionem, styli nitorem, Atticumque dicendi genus purum atque elegans, in Philostrato obseruant: sed de fide eius ueritatisque studio plurimi dubitant. Hieroclem equidem apud Eusebium si audias, maxime laudandus est Philostratus, utpote qui non solum doctrina praeclare profecerit, sed et ueritatis cultor fuerit, humanique generis commodis studens, uiri magni, Diisque amicissimi, res ignotas esse noluerit.

§. IX.

At longe alia mens atque sententia illis est de Philostrato, qui opus eius accuratius inspexerunt. Eusebius contra Hieroclem ira de ipso iudicat, quod plurimum quidem eruditione profecerit, sed parum certe ueritatis fuerit studiosus, imo ipsum sua historia uerbis quidem magiae crimen ab Apol-

Apollonio depulisse, re autem magis, quam uerbis, hominem grauatum, ceu laruam aliquam, Pythagoricum ei uitae institutum aprasse, in quo non ut Philosophus procedat, sed asinus, leonis tectus exuuiis, et sophista circulatorum per ciuitates agens, imo manifeste magus pro philosopho deprehendatur. Coelius Rhodiginus, teste Naudeo, Philostratum appellat, le plus menteur, de tous ceux qui ont écrit l'histoire, et Baronius ad ann. Chr. 68. Vix quisquam, scribit, satis digne ualet exprimere, quantum humano generi obfuerit Philostratus, scribendo res gestas Apollonii Tyanei, easdem amplificando mendaciis, ut uideatur plane inuentum diaboli. Vt plurima autorum de mala fide Philostrati testimonia iam omittam.


§. X.

Scilicet constans est eruditorum sententia, Philostratum nullam aliam scribendi causam et finem habuisse, quam ut, Apollonium laudibus euehendo, Christi gloriam et miracula deprimat, hinc ipsum ea, quae scripserit, malitiose confinxisse ad analogiam eorum, quae ab Apostolis et Euangelistis de Christo relata legerat. Hinc P. D. Huetius occasionem arripuit, prolixius scenam huius, uti uocat, fallaciae demonstrare, et ostendere, Philostratum in historia sua nullis idoneis niti testimoniis, nec solidam et idoneam conscribendi operis habuisse causam, sed id imprimis spectasse, ut inualescentem iam Christi doctrinam et fidem deprimat, opposito hoc omnis doctrinae, sanctitatis et mirificae uirtutis foeneo simulacro, et ad Christi exemplar hanc expressisse imaginem, ne quid Ethnici Christianis inuidere possent; imprimis autem, tum ex uniuersa Euangelistarum historia, tum praecipue Euangelio Lucae et Actis Apost., adeo manifeste multa pleraque in Apollonium suum descripsisse, innuit, Philostratum, ut ne a uerbis quidem ipsis usurpandis abstinuerit. Prolixum quoque neccit catalogum historiarum, quas Philostratus ex Christi uita
in

in adornando suo de Apollonio libro transtulisse ipse iudicat, in quo non solum multa mendacia et contradictiones deprehendit, doctrinaque sua non satis acute et solerter, imo uero inscite et negligenter, ad ludificandos homines confarcinandasque fabulas, ualde esse abusum Philostratum, ostendit. uid. P. D. Huetii Dem. Euang. Prop. IV. Cap. CXLVII. p. 1059. sq. §. XI.

Consentit cum Huetio Gabriel Naudeus in libro cit., qui hanc Philostrati uitam Apoll. pro bella aliqua fabula Romanensi, aut historia Amadisii habet, quam autor in gratiam Augustae compilarit, eo modo, ac hodie ingenia otiosa foeminis illustribus eiusmodi libros conscribunt, quo aliquid habeant, cuius lectione et tempus fallant, et delectentur; uti autem omnes fabulae, quae unquam confictae fuerunt, suum habeant fundamentum quoddam, cui innitantur, ita etiam Philostratum suae fabulae fundamentum posuisse historiam Iesu Christi, cui uitam Apollonii, ante iam apud omnes celeberrimi, accommodauerit. Ceterum ipsum Apollonium uirum uirtuosum et sapientem iudicat, cui magiae crimen non sine magna iniuria possit imputari. Philostrati autem ineptias et contradictiones, ut uetusta esse habenda, non ut sint in uinacula uirorum, sed oblectamenta puerorum. Et omnino ira res uidetur esse comparata, quod Philostratus mala fide in sua uersatus sit historia, multaque mendacia admiscuisse deprehendatur. Omnia uero esse conficta, aut ex historia Euangelistarum mutuata, uix ausim asserere, ipse enim Eusebius Philostrati fidem non labefactat per omnia, sed falsis multa etiam uera inesse largitur, quae uero, cum Philostratus solus et unicus hac in re nobis remanserit scriptor, a se inuicem certo discernere non possumus. De ceteris uero, quae restant, propediem Sect. III., si Deus uitam et uires concefferit, edifferemus.

33
LBMV Schwerin
000 314 420






Landesbibliothek
Mecklenburg-Vorpommern
Günther Uecker

http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn1769573836/phys_0020

DFG



E APOLLONIO TYANENSI.

liffe, re autem magis, quam uerbis, homi-
ceu laruam aliquam, Pythagoricum ei uitae
liffe, in quo non ut Philosophus procedat, sed
ctus exuuiis, et sophista circulatorem per ci-
mo manifeste magus pro philosopho depre-
elius Rhodiginus, teste Naudeo, Philostrat-
e plus menteur, de tous ceux qui ont escrit l'
onius ad ann. Chr. 68. Vix quisquam, scribit,
t exprimere, quantum humano generi ob-
tus, scribendo res gestas Apollonii Tyanei,
cando mendaciis, ut uideatur plane inuen-
plurima autorum de mala fide Philostrati te-
mittam.

§. X.

ns est eruditorum sententia, Philostratum nul-
ndi causam et finem habuisse, quam ut, Apollo-
euehendo, Christi gloriam et miracula depre-
ea, quae scripserit, malitiose confinxisse ad ana-
quae ab Apostolis et Euangelistis de Christo
Hinc P. D. Huetius occasionem arripuit,
am huius, uti uocat, fallaciae demonstrare,
Philostratum in historia sua nullis idoneis niti-
e solidam et idoneam conscribendi operis ha-
sed id imprimis spectasse, ut inualescentem
trinam et fidem deprimat, opposito hoc o-
, sanctitatis et mirificae uirtutis foeneo simu-
isti exemplar hanc expressisse imaginem, ne
ristianis inuidere possent; imprimis autem, tum
angelistarum historia, tum praecipue Euangelio
Apost., adeo manifeste multa pleraque in Apol-
escripserit, innuit, Philostratum, ut ne a uer-
s usurpandis abstinuerit. Prolixum quoque
n historiarum, quas Philostratus ex Christi uita
in